



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. XIX. Sitne visio Dei eiusdem speciei in omnibus beatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

Cap. XVIII. Visio Dei an sit cognitio quidditatiua, &c.

9. *Dubium 3. Ocham. Gabr.*
 nentissima participatio diuinæ scientiæ. Vnde ad hoc iudicium non oportet intelligere reflexionem illam, & quasi comparationem visionis ad obiectum, sed satis est directa cognitio perfecta ipsius obiecti, de quo iudicat, quod, & quale sit.

Tertio quaeri solet, an illa visio sit directa tantum, vel etiam reflexa. Nam Ocham supra quaest. 13. art. 10. quem sequuntur Gabriel in 3. d. 14. Et Supplementum eius in 4. d. 49. negant illam visionem esse reflexam, sed tantum directam, existimantes non posse has duas rationes eidem actui conuenire. Quia, vt notitia sit reflexa, existimant necessarium esse, vt sit etiam complexa. Vnde inferunt posse aliquem esse Beatum videndo Deum, qui omnino ignoret, se videre Deum & se esse Beatum. Nam hæc cognitio includit actum reflexum, qui cum sit à visione distinctus, erit ab illa separabilis. Mihi autem imprimis falsum videtur notitiam reflexam debere esse necessario per compositionem, quia nulla est ratio, vel fundamentum, propter quod talis necessitas asseratur. Item quia alias Angeli non possent reflexionem facere super suos actus, nisi componendo, quod est friuolum, nam si alias veritates possunt cognoscere simpliciter, cur non hæc, scilicet, scire se cognoscere? Denique diuina scientia eminentissime continet reflexionem & cognitionem sui cum summa simplicitate: Vnde valde probabile iudico illam visionem intime, & per se ipsam esse reflexam, ita vt non possit Beatus videre Deum, quin videat, se videre. Nulla est enim ratio, cur hoc repugnet eidem actui: nam sicut lux manifestando alia, se etiam manifestat, ita facit hoc intelligi potest in eodem actu intellectus, imo hoc maxime pertinet ad perfectam claritatem, & certitudinem eius. Adde, hoc etiam spectare ad perfectionem Beatitudinis, & per se esse maxime credibile de illa visione, quæ participatio diuinæ scientiæ est in supremo gradu, & ordine. Atque ita sentit Bonauentura 3. d. distinct. 14. artic. 1. quaest. 3. ad vltimum.

10. *Quartum dubium. Scotus.*
 Quarto interrogari solet, an illa visio sit scientia practica, vel speculatiua, vel vtrunque simul. Sunt enim opiniones variae. Prima affirmat tantum esse scientiam practicam, quia est regula voluntatis, quam mouet ad operandum, & dicat, quid secundum rectam rationem agendum sit. Sic Scotus in prologo quaest. 4. vbi non loquitur in particulari de visione, sed de Theologia, & de quacunq; cognitione creata Dei, imo idem probabile censet de increata scientia, quam Deus habet de se, de qua infra lib. 3. dicemus.

11. *Secunda opinio. D. Thom. Palud. Scotus. Caietan. Richardus.*
 Secunda opinio est, illam scientiam tantum esse speculatiuam, quia est de obiecto non operabili à nobis. Quæ tribuitur D. Thomæ 1. 2. q. 3. artic. 5. & sumitur etiam ex eodem 2. 2. q. 181. artic. 4. Citatur etiam Palud. in 4. d. 49. qu. 3. artic. 2. Ille tamen in Beatis ponit scientiam speculatiuam, & practicam, vt necessariam ad integrandam Beatitudinem, & fatetur visionem ipsam esse scientiam speculatiuam: dubium tamen relinquit, an practica sit ab illa distincta nec ne. Est ergo tertia opinio, quod simul sit practica, & speculatiua, sicuti Diuus Thomas docuit de Theologia 1. part. quaest. 1. artic. 4. Sic Caietan. 12. quaest. 3. artic. 5. Scot. 4. distinct. 49. quaest. 1. artic. 4. vbi Richardus artic. 1. quaest. 8. idem sentit. Differt tamen ab alijs, quia existimat illam visionem principaliter esse practicam, quæ speculatiuam, quia principaliter ordinatur ad amorem. Alij de contrario dicunt principaliter esse speculatiuam, quia primum illa est, quod sit quidditatiua cognitio naturæ diuinæ, & vt sic, est speculatiua, hinc vero consequenter habet, quod sit affectiua, seu directiua voluntatis, ex quo habet, quod practica sit.

12. *Hæc disceptatio solum de modo loquendi esse fo-*

79 *Le compositio. 111.*
 let, ideoque ita videtur breuiter expedienda. Considerari enim potest illa visio, vel vt est de Deo ipso, vel vt in illo, & per illum aliqua alia manifestare potest. Priori modo dico esse simpliciter, & omnino speculatiuam, quia est suprema contemplatio primæ veritatis, & est de re nullo modo operabili à vidente. Imò licet simul videatur Deus vt dignibilis ab ipso vidente, & ideo respectu amoris videatur esse de re operabili, & regulabili ab ipso. Nihilominus etiam sub illa ratione non censeo esse practicam, vt infra etiam de ipsa scientia Dei dicam. Quia nec est practica per modum artis, seu scientiæ factiua, quia non docet, quomodo sit eliciendus amor, seu physice faciendus, vt per se constat, nec est practica per modum prudentiæ, quia ille amor necessarius est, vnde non regulatur per prudentiam, sed per suum obiectum, vnde illa visio non excitat amorem practico modo, sed per solam contemplationem obiecti applicando illud.

131 *D. Thom.*
 At vero prout illa visio iudicat de aliquibus actionibus extra Deum, potest esse practica. Primo per modum prudentiæ, quatenus per illam visionem iudicare potest Beatus de alijs rebus agendis, vel vitandis secundum diuinam rationem, seu voluntatem. Secundo per modum artis, quia illa visio conferre potest cognitionem, quæ de se sufficit ad dirigendam artificiosam operationem. Neque enim est inconueniens, vt scientia altioris ordinis vtrunque rationem complectatur, præsertim cum ex vi primarij obiecti speculatiua sit, practica vero solum circa secundarium obiectum. Ex quo intelligere licet, visionem illam, quatenus formaliter pertinet ad Beatitudinem essentialem, esse tantum speculatiuam, & non practicam, & hic est sensus Diui Thomæ 12. quaest. 3. artic. 5. Quia illa visio non est Beatitudo, nisi prout terminatur ad rem increatam: quia solum obiectum increatum est Beatitudo obiectiua essentialis, vt in 1. 2. loco citato latius tractandum est.

CAPVT XIX.

Sit ne Dei visio eiusdem speciei essentialis in omnibus Beatis, ita vt Deus vno tantum modo visibilis sit.

Hæc quaestio, ad declarandam amplius perfectionem illius visionis, & hoc attributum inuisibilitatis DEI conferre potest. Supponimus autem visionem illam, & ratione obiecti excedere in perfectione essentiali omnes cognitiones aliarum rerum extra Deum, & ratione modi essentialiter differre ab omni cognitione Dei, quæ non videtur Deus, prout est in se, eamq; superare. Quæ duo, & per se nota sunt, & ex discursu capitis sient notiora. Inquirimus ergo, an in illa visione sit essentialis diuersitas.

2. *Opinio 1.*
 Primus dicendi modus esse potest, esse in illa visione specificam diuersitatem, ita vt omnis Beatus, qui perfectiorem habet Beatitudinem: habeat etiam visionem essentialiter perfectiorem. Primo quidem, quia vnus videns Deum, est essentialiter beator alio, sed essentia Beatitudinis est in visione, ergo oportet, vt is, qui beator est, habeat visionem essentialiter perfectiorem, alioqui non esset essentialiter beator, sed accidentaliter. Secundo possumus argumētari, quia visiones non eodem modo manifestant Deum, sed quædam ostendit ipsum cum habitudine ad plures creaturas, quam alia, quæ diuersitas non potest oriri nisi ex specifica distinctione, vt videtur, ergo. Probatur minor, quia visio est imago quædam rei cognitæ; siue illa sit Deus, siue creatura, sed non videtur posse intelligi, quod duæ res omnino eiusdem speciei, & in se indiuisibiles in entitatibus suis, sint imagines rerum di-

9. *Philosophi-
satio.* Unde concludi potest philosophica ratio, quia nullum est principium diuersitatis specificæ in illa visione: nam visio illa (sicut & alij actus animæ) lumit speciem ab obiecto, & modo attingendi illud, sed obiectum specificans est omnino idem, sc. Deus prout in se est, qui eodem modo coniungitur per essentiam suam omnibus Beatis, vt ab eis videatur, & eodem modo per se ipsum immediate terminat omnium visiones, ergo.

10. *conclusio.* Hinc dico secundo, probabile esse, in illa visione non posse esse specificam diuersitatem etiam de potentia absoluta, licet, hoc non sit certum. Priorem partem insinuat Caiet. 3. p. quæst. 10. art. 4. vbi de lumine gloriæ loquitur, est autem eadem ratio. Nimirum quia nullum est, nec excogitari potest principium specificæ diuersitatis in tali visione, nam in obiecto, & modo attingendi illud, est quædam participatio illius visionis, qua Deus se ipsum videt, perfectissimi ordinis, qui à nobis potest intelligi. Dices: sicut visio creata, & increata Dei essentialiter differunt se ipsis, per entitates suas, ita fieri posse duas visiones creatas Dei, quæ specie differant, non ratione obiecti, sed absolute per suas entitates. Respondetur, non esse simile, quod adducitur, quia visio increata non habet specificationem ab obiecto, & differt plus quam genere, cum sit substantia, & actus purissimus.

11. Deinde ille respondendi modus confirmat alteram partem assertionis, sc. rem hanc esse incertam. Tum quia illa responsio non potest euidenter refutari, tum etiam quia fortasse diuina virtus plus in hoc potest, quam nos possumus intelligere. Præsertim cum hic non appareat euidens implicatio contradictionis. Tamen si nobis loquendum est iuxta modum, quo intelligimus specificari, & diuificari actus animæ, non inuenimus, vnde posset oriri in illa visione diuersitas essentialis, nam cum ex natura sua respiciat obiectum, sicut alij actus intelligendi, non videtur posse per entitatem suam differre specificè, nisi in obiecto, vel habitudine ad illud intelligatur aliqua diuersitas: hæc a. nulla est in obiecto primario, obiectum a. secundarium non dat actui speciem, vt dicemus, ergo.

12. *Argumentum.* Unde ad primum argumentum de inæqualitate Beatitudinis respondetur, esse æquiuocationem in termino. Erit enim inæqualitas in Beatitudine essentiali (vt cap. sequent. dicemus) id est in forma, qua essentialiter beatificamur, ipsa vero inæqualitas non erit essentialis, sed intensiua, vel individualis. Sicut in via est inæqualitas in gratia essentiali, non tamen est inæqualitas essentialis. Ad secundum argumentum de representatione creaturarum in Deo respondetur argumentum fore alicuius momenti, si representatio, & similitudo visionis esset per formalem conuenientiam, & unitatem cum re representata. At vero cum illa tantum sit similitudo representationis, nulla est difficultas, quia illa visio tantum representat intentionali modo, & extenditur ad creaturas ex vi primarij obiecti perfectius cogniti, à quo sumit speciem suam, & ideo non sequitur, inter illas visiones esse differentiam specificam, sed graduaalem, vel individualem, vt ex dicendis in sequentib. capit. constabit.

13. *di.* Ad tertium respondetur, sententiam Maioris falsam esse, & fundamentum eius de naturali diuersitate specifica intellectuum parui momenti esse, vt ostensum est. Quod etiam ait, quemlibet Angelum habere visionem Dei perfectiorem essentialiter, quam sit visio animæ Christi, ab omni veritate, & pietate alienum est, vt in 1. tom. 3. p. disp. 26. diximus. Distinctio autem illa de visione in ratione visionis, vel Beatitudinis satisfacere non potest, tum quia Christi anima non solum excedit Angelos in visione, vt Beatitudo est, sed etiam, vt scientia est: tum etiam quia in ratione Beatitudinis non posset excessus ille essentialis per

accidentales perfectiones compensari: tum denique quia distinctio illa impertinens est, cum in tali Beatitudine essentialiter includatur ratio visionis. Est etiam valde absurdum dicere, perfectionem Beatitudinis non attendi ex perfectione visionis, sed ex solo obiecto, quia obiectum non facit formaliter Beatum, sed visio. Item quia velet sermo de re, quæ est obiectum secundum se spectata. Et sic ex illo dogmate sequeretur, omnes Beatos esse æquales, vt Beati sunt: quod est contra fidem, vt capite sequenti ostendemus, velet sermo de re illa vt visa, & sic necessario includit visionem, nec potest in ea dari magis, & minus, nisi ratione visionis.

CAPVT XX.

An visio Dei æqualis perfectionis sit in omnibus videntibus ipsum.

EX resolutione superioris capitis constat, visiones esse æquales in perfectione essentiali, ideoque consequenter videndum est, an hoc sufficiat, vt simpliciter æquales censentur. Fuit enim antiquus error affirmans æquales esse, cuius auctor fuit Iouinianus, qui dicebat, (teste Hieronymo libro secundo contra illum) iustos non operari, vt mereantur amplius, sed ne perdant, quod acceperunt. Idem refert Hieronymus epistol. 17. ad Damasum, tomo septimo significat Augustinus hæres. 82. Diuus Thomas opuscul. 19. capite sexto. Hunc errorem secuti sunt Lutherus, & sequaces, vt referunt, & impugnant Hostius in confess. capite 87. Vega libro 10. in Tridentinum per totum, Sotus 2. de Nat. & Grat. cap. 20. & in 4. d. 49. quæst. 3. artic. 2. Et quod mirum est. Durandus distinet. 49. quæstion. 2. dicit, hanc sententiam esse probabilem, aliam vero huic oppositam dicit esse securiorem. Lutherani nituntur alijs erroribus, vt quod in nobis nulla sit vera iustitia, nec meritum, sed sola impetratio iustitiæ Christi, qui æque pro omnibus mortuus est: de quibus hic non est dicendum. Fundamentum Iouiniani, vt refert Hieronymus, præcipue fuit sumptum ex Parabola Marthæ vigesimo, vbi finito labore vnus diei idem denarius diurnus datur omnibus, qui in vinea laborauerant: in quo significatur æqualitas præmij, vt indicatur illis verbis *Pares nobis illos fecisti, qui portauimus pondus diei, & estis.*

Secunda sententia asserit, omnes homines futuros esse inæquales omnino in Beatitudine, sic Palud. in 4. distinctione quarta, questione prima. Et potest fundari primo in illo 1. ad Corinth. 15. *Sicut sit illa differens, &c.* Ipse vero solum fundatur in quadam proportionem inter Angelos, & homines. Nam teste Gregorio, inquit, homines erunt æquales Angelis in multitudine, & perfectione, sed omnes angeli sunt inter se inæquales, ergo & omnes homines. Excipit tamen ab hac proportionem Christum, & Virginem, qui sine vlla comparatione perfectiores sunt omnibus Angelis. Aliter sumi posset proportio, nam est multorum Patrum sententia, homines assumi ad reparandas sedes Angelorum, sed si Angeli, qui ceciderunt, stetitissent, omnes fuissent inæquales in gloria, ergo & homines, &c.

Dicendum primo, non omnes videntes Deum futuros esse æquales in perfectione visionis, seu Beatitudinis essentialis. Conclusio est de fide. Probarur primo ex Scriptura, in qua primum testimonium est illud Ioannis decimo quarto cap. *In domo Patris meæ mansiones multe sunt, quod Iouinianus exponebat de Ecclesia militante, & de varijs ordinibus hierarchiæ eius, sed hoc euidenter impugnatur ex contextu: nam aperte Christus loquitur de gloria cœlesti, ad quam tendebat, & de qua dixit: Vado parare vobis locum.*

STAREZ
IN
DOMO
PATRIS
MEAE
MANSIONES
MULTE
SUNT
D. V.